43.

VIRUM
Undiqvaqve Famigeratissimum
Nobilissimum, Amplissimum atq; Excellentissimum
DN. JACOBUM THOMASIUM,
Eloqventiæ P. P. Facultatis Philosophicæ Seniorem, Academiæ Decemvirum, Minoris Principum Collegii Collegiatum & Scholæ Thomanæ Rectorem, de singulis officiis meritissimum,

Patronum, Fautorem & Præceptorem suum æstimatissimum,

d. 8. Sept. A. Æ. C. M. DC. LXXXIV. beatè defunctum, & 14. ejusdem solennissimis exeqviis condecoratum

deplorat

M. Gottfried Mathesius, Schol. Th. Colleg.

LIPSIÆ,
CHRISTOPHORI GUNTHERI.

NUnc triſtiores turba ſacratior
Emitte voces, nunc lacrymabiles
Deduc modos, & profer aptas
Cantibus Halcyonum qverelas.
Nunc fletibus plorato fluentibus,
Atroqve luctum prodito ſyrmate.
Nunc qveſtibus planctuqve tempus
Conterite ô juvenes ſenesqve.
Qvicunque amatis murmura Penei,
Nunc floridas rellinqvite fluminum
Ripas, amaris ac olorum
Carminibus ſuperate qveſtus.
Nunc ſubtrahas Titan jubar, aureum
Vultum tegens, nunc Cynthia lugubri
Nigroqve amictu induta frontem
Splendidulam populis negato.
Nam extinctus ah! qvem Muſa vetat mori,
Qvi totius fulgens jubar orbis eſt,
Qvi inclaruit multis ab annis
Gentibus innumeris Σοφὸς πᾶν.
Qvem Matrona & qvem tardifluens Arar,
Qvem verticoſo gurgite Seqvana
Novit; ſtupeſcunt qvem moventem
Plectra paludicolæ Sicambri.
Qvi notior Laurentibus incolis,
Qvem extollit Iſter, qvem Ligures colunt,
Prærupta qvem ſenſit Pyrene,
Et Moſa præcipitans amavit.

Qvem

Qvem tecta norunt cœrula Doridis
Pulchræ, canentem qvem ſtupuit Thetis,
Cujus chelyn Triton canorus
Mellifluam toties celebrat.
Nam Gratiis, totiqve Novenſili
Phœbi cohorti præcipuus fuit.
Πάντων σοφῶν ἀντάξιος qvi
Alter Ariſtoteles in orbe eſt.
Hinc extulere illum ſuper incluta
Terrarum & altas Acroceraunia
Egreſſa nubes, hinc ſuperni
Impoſuere jugis Hymetti.
Hunc ſi profundo flumine naufragum
Vidiſſet almus delphin Arionis,
Dorſo receptum detuliſſet
Per tumidas refluentis undas.
Et non perpercit mors truculentior
Huic, neſciens placarier entheis
Plectris, nec arcanis ſophorum,
Oris & eloqvio moveri.
Hinc flendum, amaris omnia qveſtibus
Implenda, larga effundere flumina
Jam per genas triſtes decebit,
Signaqve lætitiæ amovere.
En ipſe Phœbus luctiſona lyra
Mærens adeſt, en Pieridum cohors
Præſens dolet, collesqve Pindi
Ingeminant fremitus acutos.
Aſt qvid juvat conſumere qveſtibus
Nunc tempus? aut qvid lædere fletibus
Ingentibus, longoqve planctu
Se nimium lacerare prodeſt?
Nullis ad auras Pan capripes ſuam
Syringa traxit qveſtibus, arbore
E florida planctu peremtum
Nec Cybele revocavit Atyn.

Nec

Nec Hic reviviſcet lacrymantium
Planctu, nec ullo flumine vultuum.
Et qvid reviviſcat? vireſcit
Nos apud, atqve vireſcet uſqve.
Fruſtra ergo flemus. Vivus adhuc is, &
Nobis ſuperſtes permanet, ac dehinc
Semper manebit, donec orbis,
Donec in orbe capace durant
Res univerſæ, conſpicuiſſimis
Splendorem adeptæ luminibus Viri,
De ſole qvalem ſortiuntur
Sidera purpurei nitoris.
Ac inſuper jam lucifero nitens
Vultu, beato vivit in æthere,
Qvi neutiqvam, etſi poſſet, orbem
Diſcupit ad miſerum redire.
Nunc ergo Olympi cœrulei Decus
Salve novum, æternumqve vale in choro
Cœleſtium, qvêis & remiſta,
Jubila mox mea Muſa ducet.

